



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Quæstio IV. De Distinctione Modali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

DIFFICULTAS V.

Notantur alia de Connotatis.

NOro I. Quod videatur sequi datis entibus connotativis non danda entia absoluta, quia ipsa absoluta respiciunt ipsameter connotativa, adeoque non sunt absoluta, sed id non sequetur, quod sic illustratur. Sunt aliqua prædicata, in quibus prædicatum destruit subjectum, & alia prædicata, quæ non destruunt subjectum: posteriorum exemplum est, homo est animal, Petrus est individuum, priorum autem exemplum, si de termino non significativo dicas, significat hoc, quod nihil significet, ubi ly significat est subjectum, quod destruitur prædicato, cum dico quod nihil significet, item si dicas, concordēs sunt in hoc quod sint discordēs, ly discordēs destruit subjectum concordēs, unde etiam si dicas, connotant hoc absoluta, quod nihil connotent, vel connotant quod opponantur connotatis, prædicatum hoc quod nihil connotent, item quod opponantur connotatis destruit illud subjectum, quod scilicet absoluta connotent, adeoque præter connotativa entia, dabuntur & entia absoluta.

NOro II. Aliud est dicere Petrus & Paulus sunt similes, & aliud rigorosè loquendo Petrus est similis Paulo, si dicas Petrum & Paulum esse similes, hoc ipso utriusque relationem, adeoque utrumque fundamentum colliges, si utrumque fundamentum colliges & Petrus & Paulus in recto importabuntur. Si autem dicas, Petrus est similis Paulo, non significant nisi unum fundamentum, proptereaque non nisi illud unum in recto ponetur, cum hoc tamen stat, ut nunquam similitudo dicat utrumque extremum hoc sensu, quasi similitudo duobus illis, tanquam parte componantur.

NOro III. Dari aliqua talia connotata, quibus mutatis, mutatur & ipsa entitas connotantis, tunc autem temporis extrinsecis mutatis, non manet entitas connotantis, quando id quod connotabatur, fundat relationem transcendentalem, mutato autem connotato seu termino, mutatur relatio transcendentalis, mutatā autem relatione transcendentali, mutatur aliquid essentialis. Unde quando sublato Filio, manet ut alii loquuntur entitas Paternitatis, per nos autem subjectum illud, quod vocatur Pater, etiam si non maneat formaliter Pater, tamen sublata possibilitate v.g. creaturarum, non potest dici manere omnipotentia. Quod ipsum exinde est, quia duplicis generis sunt denominationes formales connotativæ, alia enim sunt tales, ut etiam si ratio formalis denominativa deesset subjecto, non censeretur defectus aliquis essentialis in subjecto intervenire, v.g. etiam si non sit homo formaliter Pater, nõ censeretur defectus aliquis essentialis

intervenire. Alia autem relationes, Connotationes, denominationes, sunt tales, ex quæ transcendentales, quæ si cessent, cessabit in fundamento denominatio talis formaliter si cesset, censeretur defectus aliquis essentialis intervenire; & sic v.g. censeretur intervenire defectus essentialis, si homo non sit formaliter rationalis, censeretur item defectus essentialis intervenire, si Deus non sit formaliter omnipotens. In istis ergo posterioris generis connotatis & ipsa entitas tollitur, si formalis ratio connotationis tollatur.

NOro IV. Cum dicamus ad connotata & relationem, intrinsecè requiri ipsum terminum, adhuc nos distingui à negantibus connotata, quia illud ipsum intrinsecè requisitum, dicimus esse quid extrinsecum. Rursus per nos clarè illud extrinsecum non est pars, per illos est pars. Denique distinguimur ab illis, sicut illi condistinguuntur à se ipsis, dum dicunt relationem prædicamentalem componi termino, transcendentalem autem, connotare non nisi terminum.

NOro V. Probabilem satis debere esse sententiam connotata tenentium vel exinde, quia recentiores ad illa impugnanda assumere debuerunt Propositiones paulò duriores, nempe: relationem prædicamentalem non esse veram relationem, Paternitatem item divinam in quantum dicit relationem prædicamentalem componi Filio, ut videre est apud Arriagā. Item formari debuit hæc Propositio; idem in re, Petrum similem Joanni, quod Joannem esse similem Petro, quodq; hæc modis solis concipiendi distinguantur. Quod si verum est, dicam in re idem esse quod Petrus sit Pater Joannis, & quod Joannes sit Filius Petri, solumq; hoc distinguendi modo concipiendi, dicam ulterius producens & productum esse idem in re, & solis modis concipiendi distinguendi.

QUÆSTIO IV.

De Distinctione modali.

PRÆMITTO I. *Quid nomine modi intelligatur?*
 Nomine modi I. intelligitur Moderatio & Mensura v.g. habet modum in ira, id est temperatè irascitur. II. Intelligitur modus quidam operandi, v.g. hic Concionator, habet modum specialem concionandi, exemplum utriusque modi accipe ex Augustino. *Modus diligendi DEVM* (en prima acceptio) *est sine modo* (en secunda acceptio modi pro mensura) *diligere*. III. Grammatici modum sumunt, aut pro adverbio quo respondetur ad interrogationem quomodo, v.g. quomodo vales, benè, mediocriter &c. quæ adverbia ostendunt modum sanitatis, aut idem sumunt modum pro illis conjugationes partientibus v.g. pro modo Indicativo, Infini-

Infinitivo &c. IV. S. Thomas sumit modum pro ipsa essentia rei. Unde crevit illud, modus essendi hominis, est rationalitas, cuius propositionis est sensus de essentia hominis est rationalitas, quanquam S. Thomas I. II. p. 49. art. 2. etiam accidentia realia modos appellat, quorum etiam meminit Fonseca lib. 5. Metaphysicæ cap. 6. q. 5. sect. 2. V. Nomine modi intelligunt Philosophi determinationes, affectiones, actualitates entium, de quibus

PRÆMITTO II. *Quod recentiores in Polonia Professores condistinguant modos, in modos essendi & modos entitativos*, nomine modi essendi intelligunt formalitates ex natura rei nemine cogitante distinctas, quamvis nullam entitatem à subjecto condistinguant importantes: nomine modi entitativi, intelligunt modos qui suam entitatem adferunt, quamvis non separabilem ad existentiam extra modificatum.

PRÆMITTO III. *Possibiles esse modos entitativos*, Ratio, quia nulla in illis ostendi potest implicancia, videturque Aristoteles agnovisse naturam modorum, quia censuit accidentia ejus esse naturæ, ut non possint esse sine subjecto, licet subjectum possit esse sine illis, imò videtur hoc docuisse etiam de formis substantialibus, materialibus II. Physicorum tex. 19.

DICES I. Non datur prædeterminatio physica. Ergò nec modi. Consequentia probatur, idèd prædeterminatio illa non datur, quia tollit libertatem, sed eam etiam modus tollit, jam autem idèd prædeterminatio tollit libertatem, quia eà posità non potest non esse actio, sed etiam posito modo non potest non esse actio, cum ipse modus sit actio. Ergò & modus tollit libertatem.

RESPONDETUR. Prædeterminatio quia se habet per modum suppositionis antecedentis tollit libertatem, modus autem se habet per modum suppositionis consequentis, quia scilicet iste qui agit, non potest non agere, suppositio autem Consequens non tollit libertatem.

DICES II. Si modus esset possibilis, tunc non posset Deus creare modum quin crearet & aliud ens seu ejus subjectum, sed hoc est absurdum, quia hoc laderet libertatem Dei, ad quam spectat ut unum independentem ab alio, producere vel conservare possit.

RESPONDETUR. Libertas Dei per hoc solum tollitur, si non possit facere id, quod posset fieri, non potest autem modus sine modificato esse, neq; enim hujus das implicantiā, consequenter non tollit libertatem Dei; sicut nec tollit ejus libertatem, quòd non possit facere ut homo, sit cervus.

DICES III. Non est possibilis talis duratio Creaturæ, quæ petat ut illam Deus necessario conservet. Ergò nec est possibilis talis entitas, quæ petat, necessario aliud produci simul vel ante. Ergò nec est possibilis modus.

RESPONDETUR. Disparitatem esse quia otiosa esset illa conservatio Creaturæ si ex intrinsicis suis principiis peteret semper durare, consequenter in illa conservatione sui, esset independens à Deo quod absurdum est, esset autem dependens à Deo & ille modus & illud subjectum, sed de antecedenti vide materiam de Angelis, circa incorruptibilitatem Angelorum.

DIFFICULTAS I.

Proponitur primum Fundamentum Modorum.

PRIMUM Modorū fundamentum est tale: Impossibile est dari transitū à contradictorio ad cōtradiçtorium sine sufficienti mutatione, hoc est facta in entibus vel non entibus, facta in ipso transeunte, vel quopiam altero nexu, facta ante, vel postea, vel nunc, modo sit talis mutatio, ut eà positā, necessario transeat à contradictorio ad contradictorium, & quā non positā, vel aliā, quæ illi æquivalet, non transeat. Sed nisi dentur modi non transibitur sæpè à contradictorio ad contradictorium, nec habebitur sufficiens mutatio. Ergò dantur modi. Minor probabitur in materia de Unione, actione &c.

Major per partes probatur.

Non debet esse mutatio in ipsis entibus, sed sufficit ut sit mutatio in non entibus, ut ostendunt transitus à non esse hīc ad esse hīc, transitus à non esse termini ad esse termini, &c.

RESPONDEBIS. In enumeratis negationibus factam esse mutationem in entibus, quia factus est motus aliquis localis.

CONTRA. Quia motus localis, non est ad hoc necessaria mutatio, cum potuerim habere negationem distantia, ab hoc loco, non per motum localem, sed per mei v.g. in hoc loco, productionem.

SUFFICIT item mutatio in aliquo extrinseco. Quia Paulus à non esse patris ad esse Patris, transit extrinseco, hoc est, positione Filii, à non esse dextri ad esse dextri transitur per solam mutationem, factam in Petro, aliter se situante, & eadem sumptio cibi, ad esse cœnæ, transit per tempus extrinsecum vespertinum.

SUFFICIT item mutatio, ut fiat postea. Idque in aliquibus casibus. Ratio, quia Rex Ezechias, cui Propheta dixit, morieris tu & non vives, cum supplicasset Deo, & revelatum esset illi, quod victurus esset sexdecem annis, tunc inquam iste Rex à contradictorio, seu à non esse victuri sexdecem annis, transit per sexdecem annos postea potendos. Deinde quia docetur per effectum conditionatè futurum, gratiam transire ab uno contradictorio ad aliud. Deus item ipse, à non esse decernentis mundum, ad

esse decernentis mundum, transit ipsa mundi futuritione. Quorum omnium hæc ratio est, quia est aliqua mutatio quæ est non ex futuro ad futurum, sed hæc mutatio non potest fieri, si ly postea non esset sufficiens ratio mutandi: quod probatur, quia non potest aliquid dici futurum ex eo quod præterit, non enim jam erit futurum, neque ex eo quod est, quia & hoc, jam non est futurum. Ergo tantum ex eo, quod erit super postea, imò si non *ex ly postea* defumeretur ratio futuri, hoc ipso & esset futurum ut dicitur, & non esset futurum, nam futurum dicitur respectu eorum, quæ sunt postea. Hoc tantum sensu non potest fieri à contradictorio ad contradictorium transitus per postea, quando sine illo postea, haberetur jam completa ratio denominationis.

RESPONDEBIS. I. Ezechiam transiisse per Dei revelationem, ad esse illud victuri.

CONTRA. Hæc ipsa revelatio, designans sexdecem annos, à non esse designantis sexdecem annos, ad esse designantis, transit per aliquid, postea ponendum. Ergo apparet istud postea, salvare sufficientem mutationem.

RESPONDEBIS. II. Deum non transiisse à contradictorio ad contradictorium, quia ab æterno voluit mundum.

CONTRA. Quia non transiit quidem à contradictorio ad contradictorium, ita ut terminus à quo, duratione præcelleret contradictorium ad quod; transiit tamen ab uno contradictorio, quod sit prius ratione, cumq; ab æterno potuerit Deus sortiri rationem nolentis mundum, per quid ergo transiit ad rationem volentis, si non ratione futuritionis mundi?

RESPONDEBIS. III. Non esse fundamentum, cur mutatio *ex ly postea* defumibilis sit sufficiens ad transitum, interdum non sufficiens.

CONTRA. Ratio jam est assignata, quando transitur à non futuro ad futurum.

DICES I. Si ratione ejus quod postea futurum est, posset quis in præsentis transire, à contradictorio ad contradictorium, quæro? vel posset Deus mutare illud futurum ne sit, vel non posset, si non posset, Ergo adstringis divinam libertatem; si autem potest mutare, Ergo illa mutatio, non erit sufficiens.

RESPONDETUR. Si res est futura ex suppositione consequenti, non est non futura, ex qua etiam suppositione consequenti, adstringere divinam libertatem, non est novum, præcipue cum ipsa futuritio, includat in se volitionem Dei liberam, tanquam causam, quæ ipsa volitio, se ipsam, ex suppositione consequenti, stringere potest.

DICES II. Tam aliquid non est nunc in instanti A. quod nec fuit nec erit, quam verè non est nunc, quod est futurum tantum. Ergo si id quod absolute non est, non potest facere mutationem, nec illud quod erit, & nunc non est, poterit facere mutationem.

RESPONDETUR. Etiam à non esse futuri ullo modo, transitur per ipsum non esse futurum ullo modo, falsum ergo est subjectum Consequentis.

DICES III. Prius est esse, postea mutare. Ergo si postea nondum est, nec mutabit.

RESPONDETUR. Prius est esse, quam mutare intrinsecè, sed potest esse mutatio extrinsecè, per id quod non est. Unde etiam sola negatio distantia, quæ est quid negativum mutare potest, dicique potest, intelligi illic prius esse futuri, seu esse accommodatum & postea mutare.

SUFFICIIT mutatio quæ sit in ante. Ratio, tum quia homo à non esse mortui ad esse mortui, transit separatione animæ, quæ prior est naturæ, ipsa morte. Tum quia à non esse conservati, quod non esse conservati, habetur in prima productione, transitur ad esse conservati, mutatione facta in ante, nempe ratione productionis primæ. Ponamus item in toto orbe parietem esse unum album, ponatur deinde alter, ille prior à non esse similis, ad esse similis, transit pariete postea posito, & iste postea positus, à non esse similis, ad esse similis, transit pariete, antea posito. Ergo apparet sufficere mutationem antea vel postea positam. Tum quia datur transitus à contradictorio non succedentis, ad contradictorium succedentis, sed hic transitus non potest esse, nisi mutatione facta in ante, si enim ratio succedentis non esset ex mutatione facta in ante & esset illud succedens ut supponitur, & non esset succedens, omne enim succedens supponit præcedens, & ratione ejus, dicitur succedere.

DICES I. Si sufficit mutatio facta in ante cur id quod transit ad contradictorium non citius & citius transiit.

RESPONDETUR. Inter alia ideò citius non transiit, quia v. g. ipsius transiituri, non erat posita adhuc entitas.

DICES II. Illa mutatio est sufficiens quæ posita non potest non poni transitus, sed si antecedit mutatio, potest non poni transitus. Ergo mutatio facta in ante, non est sufficiens.

RESPONDETUR. Si antecedit mutatio & desint reliqua prærequisita, qualis est ipsa entitas transiituri, non potest poni transitus, sufficitque si ponatur positus prærequisitis.

DICES III. Aliquæ mutationes non sunt sufficientes, si ponantur ante. Ergo & omnes.

RESPONDETUR. Non esse novum, ut quod semel non sufficit: alias sufficiat, tuncque sufficiet, quando posito eo quod poni ante, requiritur, ad est jam entitas rei, transiituri, ad contradictorium &c.

* * *

DIFFI-

DIFFICULTAS II.

Probatur Bonitas allati Principii & reliqua Principia referuntur.

PROBATUR I. Si sine ulla mutatione posset aliquid transire à contradictorio ad contradictorium, & esset idem & non esset idem, esset idem; quia supponitur nulla mutatio facta, & non esset idem; quia mutatum cum non mutato, non est idem. Illud autem quod transit ad contradictorium censetur mutatum ex non transeunte ad transiens. Hæc ratio accipit robur ex probatione tertia.

PROBATUR II. Ordinario argumento Theologico: Deus cum in priori signo rationis fuerit indifferens ad volendum vel nolendum mundum, transit ad contradictorium volentis, mutatione facta in exterioribus, hoc est ex posita mundi futuritione, si enim non per positam mundi futuritionem transit Deus ad esse volentis mundum, posset aliquid Deus velle fore, quod tamen posteaquam volutum est ut foret, non foret. Ergo multo magis creatura, non potest ad alteram partem contradictionis transire, sine illa mutatione sufficienti.

PROBATUR III. Ex illo principio; idem manens idem facit semper idem, si sine ulla mutatione posset aliquid transire à contradictorio ad contradictorium, & transiret ad contradictorium ut supponitur & non transiret, quia idem manens idem semper facit idem. Deinde si quod tu dicis transire ad contradictorium, ita se habet in intrinsicis & extrinsecis, sicut se habuit antequam transisset. Ergo cum antequam transisset non transierat, etiam cum transit ut dicis, non transit. Rursus transitus hic est quasi effectus vel effectus. Ergo sui causam habere debet, nullam autem haberet sui causam vel quasi causam, si ad hoc sufficiens mutatio, nulla requireretur. Denique etiam v.g. sex à non sex non transit sine sufficienti mutatione, nec potest ostendi quod transeat ad contradictorium sine sufficienti mutatione. Ergo apparet illam semper requiri.

II. FUNDAMENTUM modorum est. Quando aliqua duo sunt, quorum unum potest separari ab alio, evidens est non esse illa idem, quia nihil potest à se ipso separari, sed possunt esse aliqua v.g. materia & forma in rerum natura, & non esse inter se unita. Ergo esse unitas, est aliquid à materia & forma distinctum.

Hoc ARGUMENTUM Rem non convincit, nisi aliter ponatur, nam multa sunt, quæ possunt esse in rerum natura, & non sortiuntur denominationem certam, quæ tamen non sit modalitas, sic potest esse Petrus & turris, non tamen esse Petrus, in turri, & tamen Petrum esse in turri, non est aliquid modale ut alibi dicitur. Probaret item hoc argumentum etiam negationes

esse distinctas entitativè, quia interdum sunt, interdum non sunt.

PROPONITUR Itaque aliter hoc argumentum; Potest esse entitas aliquorum duorum, nec sortiri denominationem certam, nisi ponatur modus, & hoc probabunt argumenta aliarum materiarum. Ergo dantur Modi. Est autem hic modus distinctus à priori, quia in priori videtur ad omnem hanc mutationem requiri modalitatem, quod non fit in hoc secundo modo. Ut autem hoc argumentum promoveatur ad vertendum erit, quod v.g. in unione si non ponatur entitas modalis vel non assignabitur sufficiens mutatio vel petetur principium.

III. FUNDAMENTUM est, quod posuit Suarez Disp. 7. Metaphysicâ Sect. 1. II. 18. Creaturæ sunt imperfectæ, compositæ, mutabiles; Ergo & indigebant per quod in istis complentur; complementum autem hoc, sæpè non potest esse, nisi solus modus. Idem aliter proponi potest. Dantur potentialitates & indifferentiæ Physicæ, quæ non aliter nisi per modos tolli possunt, ut aliàs probabitur, ergo dantur modi.

Circa hæc fundamenta in praxi hoc est habendum, ut semper negativà vià proponantur, scilicet quod interdum non possit poni sufficiens mutatio sine modo quod primum fundamentum est, item quod denominatio non possit haberi interdum sine modo, ut voluit secundum fundamentum. Denique quod sine modo non possit interdum tolli indifferentia, ut voluit tertium fundamentum.

DIFFICULTAS III.

Solvuntur Argumenta Philosophica contra Principia Modorum.

OBJICITUR I. Probando mutationem debere esse semper in entibus; Non potest aliquis transitus explicari nisi per novas entitates & modos. Ergo & omnes. Antecedens probatur, in transitu à non existentia ad existentiam in unione item & actione.

RESPONDETUR Negando Consequentiam. Quia si non possit inveniri ullum negativum, quo posito possit esse sufficiens mutatio ad transitum, jam debet quæri illa mutatio in entibus sive realibus sive modalibus, quia autem in transitu à non esse existentis ad esse existentis, non potest inveniri ullum tale negativum, quia debet salvari existentia, quæ est non aliquid non esse, sed esse extra causas, ideo in transitu ad existentiam requireretur entitas, potest autem verè inveniri in multis denominationibus aliquid negativum, quod sufficiat ad transitum pro hac parte contradictionis.

Addo sicut potest salvari transitus à contradictorio ad contradictorium non semper per positionem

+ I 3 tionem

tionem novæ entitatis ratæ, sed interdum sufficit modalis, ita poterit interdum sufficere, aliqua negatio.

INSTABIS. Verè esse, & verè non esse, non potest explicari sine esse & non esse. Ergo etiam noviter esse, aut noviter non esse, non potest explicari, sine aliquo novo esse, aut novo non esse.

RESPONDETUR. Noviter esse non potest explicari sine novo esse aut entitativè distincto aut formaliter, sed non est necesse istud semper esse entitativum, & ita negatio distantia, est novum esse, sed formaliter tantum distinctum, esse autem existentis, uniti, requirit entitatem novam &c. & ita potuit Joannes habere denominationem Poloni, quam non habet, sine ulla entitate nova sibi addita. Item si Petrum Deus annihilaret, & postea retrò producat, esset idem Petrus, & tamen novam entitatem non haberet, hoc ipso enim si novam entitatem haberet, non esset Petrus, sed alius à Petro, licet habeat novam denominationem. Item si replicetur entitas Petri manebit eadem entitas, hoc ipso enim replicatum, non esset Petrus & tamen novam denominationem pluries replicati habebit. Loquor autem hic, ex suppositione quod actiones reproductivæ & replicativæ sint indistinctæ, utpote creativæ, sed si sunt distinctæ, loquor de reproducto, &c. non sub formalitate reproducti, sed sub formalitate habentis idem esse: Item à non esse similis specificè ad esse similis specificè, item à non esse coexistentis ad esse coexistentis, si sumatur secundum intrinsecam durationem, transitur sine ullo esse superaddito.

RESPONDEBIS. Actus Dei liber, qui Petrum reproduceret, replicaret, faceret alibi nasci &c. causaret istam novam denominationem, actus autem Dei liber est ens.

CONTRA. Quia quando à non esse actus Dei liberi, de replicatione, transitur ad esse actus Dei liberi de replicatione, nulla variatio facta est in Deo, nulla item variatio in entitate. Ergo saltem actus ipse Dei liber, transit ab uno contradictorio ad aliud, sine nova entitate.

Cæterum non nego etiam actus Dei liberos requirere interdum mutationem in entibus, atque ita Deus, à non esse volentis mundum efficaciter pro nunc, ad esse volentis efficaciter pro nunc, transit ipsa existentia & entitate mundi.

OBJICITUR II. Potest aliquid transire à contradictorio ad contradictorium solâ mutatione factâ in tempore, ut voluit Vadingus, tract. de Incarnatione Disp. Proëmiâli de Modis.

RESPOND. Ad aliquas denominationes sufficit mutatio in tempore, sed nego quod ad omnes, tunc autem sufficit mutatio in tempore, quando ipsa denominatio desinitur vel pender à tempore vel est species illius, & sic denominatio crastini, hesterni, præsentis, habetur non-

nisi mutatione factâ in tempore: item à non esse obligati reddere hic & nunc debitum, ad esse obligati, transitur solâ mutatione, factâ in tempore. Cæterum sunt aliæ denominationes, ad quas non est sufficiens mutatio in ipso tempore, quia ex indocto doctus nemo fit solo tempore, aliàs vel omnes essent indocti, vel omnes docti. Deinde tempus semper mutatur, semper incipit ratione ejus partis quæ nunc est, & desinit ratione ejus partis quæ immediate ante fuit, consequenter omnia & incipient & desinent. Denique ut urgeri solet per oppositos, tempus est motus cælorum entitativè, motus autem cælorum est ipsum cælum per illos, cæli autem non mutantur. Ergo à primo ad ultimum nulla hæc mutatio, cum tempus per oppositos non mutetur. Ergo nec erit transitus à contradictorio ad contradictorium, nam hic requiritur per oppositos, mutationem in tempore.

INSTAT Valentia. Cur non bene potest tribui transitus à contradictorio ad contradictorium, mutationi temporis, non quomodocumque sumpti, sed prout ei Deus voluntarie suum alligavit concursum, ita v.g. ut ideò materia ex non unita ad esse unitæ transeat, quia venit tempus, in quo Deus decrevit concurrere cum materia v.g. ut uniatur.

RESPOND. In concursum Dei alligatum certæ differentie temporis non posse referri mutationem illam, quia de ipso concursu querere restat: per quid transeat à non esse concurrentis, ad esse concurrentis, item cum ille concursus sit efficax, nec sit quid nonnisi imaginarium, quidnam ille ipse efficiat, & si in aliis transitibus non sufficit mutatio in tempore ut dictum supra, detur regula universalis, quando nam sufficiat mutatio in tempore, ex quo postea inferretur, etiam in præsentem hanc mutationem non esse sufficientem.

OBJICITUR III. Bene salvari potest transitus à contradictorio ad contradictorium solâ novæ formalitatis acquisitione aut novi connotati.

RESPOND. Possè quidem salvari transitum à contradictorio ad contradictorium solâ novæ formalitatis vel connotati acquisitione, sed nego novam formalitatem posse haberi, sine nova mutatione in entibus vel non entibus ut supra probatum. Deinde si potest fieri transitus à contradictorio ad contradictorium solâ novâ formalitate positâ & nullâ aliâ mutatione, tunc & fieret ille transitus & non fieret, fieret ut supponitur, non fieret autem, quia ante illum transitum erat hæc entitas, quæ & modo, & nihil circa illam mutatum. Ergo si ante transitum non erat transitus, nec modo est, quia idem manens idem, semper facit idem. Sed hæc quæ dicta sunt de mutatione in tempore, vel de accessu vel ex accessu novæ formalitatis, alibi plenius refutantur.

DIFFI-

DIFFICULTAS IV.

Solvuntur Instantiæ Theologicæ.

PRIMA INSTANTIA est. Creatura à non esse causæ obediencialis, ad esse causæ obediencialis, transit sine ulla mutatione. Ergo potest haberi nova denominatio sine nova mutatione.

RESPONDETUR. Nomine causæ obediencialis venit ipsa entitas creaturæ, quam potest Deus assumere pro sua libertate ad aliquos effectus præstandos supra vires naturæ, ut cum assumitur aqua, ad producendam gratiam baptismalem, hæc causæ obediencialis aliquando transit à non esse obediencialis in actu primo, ad esse obediencialis in actu primo, & sic transitus fit per ipsam entitatem creaturæ, supposito quod hæc potentia obediencialis non requirat indispensabiliter compleri per aliquid permanens elevativum. Interdum hæc causæ obediencialis transit à non esse causæ obediencialis in actu secundo, ad esse causæ obediencialis in actu secundo, & tunc fit mutatio ratione actionis, quæ producit effectus, sive hæc actio fit modus, sive non sine modo.

Difficilius est salvare transitum à non esse causæ obediencialis proximè causaturæ ad esse causæ obediencialis proximè causaturæ.

EXPLICANT I. Aliqui quod transeat per qualitatem superadditam.

CONTRA. Quia imprimis non implicat potentiam elevari, non per aliquid superadditum, redibit ergo difficultas, per quid eo casu transeat. Deinde illud elevativum permanens, constituit quidem completum principium, sed hic quaritur de completo principio, prout induit rationem proximè operaturæ, per quid inquam ad hanc rationem veniatur.

EXPLICARI solet II. Quod tunc transeat ad esse causæ obediencialis proximè causaturæ, ipso effectu futuro.

CONTRA. Quia effectus cum sit posterior naturæ, prior autem sit causa in actu primo, & causa in actu primo supponatur completa ante effectum, ideo ab effectu, non potest desumi hic transitus. Quod autem alii dicunt effectum non debere sumi quatenus existens est, & actu dependens à tali causâ, sed debere sumi prout futurus est, eò quod sic acceptus, non sit quid posterius ipsâ causâ, id non satisfacit; quia etiam effectus futurus, est adhuc verè effectus, adeoque posterior natura præ causâ, anteq; futuritionem illius, debet præsupponi completio causæ, proximè operaturæ, per quid ergo completur in esse causæ, proximè operaturæ. Posset quidem dici, quod à non esse causæ proximè operaturæ, transeat ad esse causæ proximè operaturæ, obediencialiter operaturæ, ipsamet operatione effectus excedentis, quæ operatio est prior ipso effectui, hinc si effectus quocunque modo

sumptus posset id salvare, per prius id salvabit ipsamet actio. Quia tamen adhuc inquiri potest per quid transeat à non esse proximè obediencialiter ipsam hanc actionem posituri ad esse proximè obediencialiter illam actionem posituri, hinc

EXPLICATUR III. Sicut proximitas potest esse in corporalibus Major & Minor, ita & in ratione proximè operaturæ causæ obediencialis potest esse proximitas Major & Minor, & quidem imprimis proximè completur causa obediencialis ipso concursu Dei indebito, proximè parato, secundo ipsamet actione agente, quæ est ipsemet concursus in actu secundo, quæ est quidem posterior ipso principio proximè illam ipsam operaturæ, habet tamen rationem prioris & proximioris ad causam, præ ipso effectu.

II. INSTANTIA est. Potest aliquis transire ab esse peccatoris ad non esse peccatoris sine ulla sua mutatione.

RESPONDETUR. Quod tunc possit ille peccator dici non peccator hoc sensu, quia quantumvis nullum ille actum elicerit, nec sit in illo posita ulla mutatio, dicetur tamen conversus hoc sensu, quia se ad illum Deus convertit, hoc ipsum quia se Deus ad illum convertit, explicando ex communi sententia, ratione mutationis in aliquibus extrinsecis. Cæterum si ille peccator evadat non peccator denomineturq; conversus conversione qua dicatur, etiam ille converti ad Deum, non poterit id fieri, sine mutatione, sed erit mutatio ob novum actum retractationis vel doloris positum, de quo in materia de Pœnitentia.

III. INSTANTIA est. Si non in omnibus, saltem in aliquibus, potest explicari actus Dei liber per aliquam æquivalentiam ad actum novum, præstando id sine novitate, quod præstaret novitas actus, quo casu, erit nova denominatio ratione illius actus, & tamen non ostendetur ulla nova mutatio.

RESPONDETUR. Sicut illic est novus non nisi æquivalenter actus, faciens id sine novitate actus, quod faceret novitas actus, ita etiam est illic proportionata illi actui per æquivalentiam explicabilis mutatio, scilicet æquivalenter præstans id, quod præstaret in creatis mutatio, sed hoc fufius tractatur tum in materia de Pœnitentia an sine infusione gratiæ remitti possit peccatum, tum in materia de actu Dei libero in prima Parte.

IV. INSTANTIA est. Angeli habent concreatas futurorum species, quæ à non esse completarum, ad esse completarum, transeunt sine ulla mutatione.

RESPONDETUR. Esse illic mutationem, quam adfert ipsa existentia objecti, ipsaque oblatio concursus divini ad noscendum, erit sufficiens mutatio, de quo in materia de Angelis.

V. INSTANTIA est. Angelus à non esse

† I 4

loquens

loquentis ad esse loquentis transit sine ulla mutatione.

RESPONDETUR. Esse illic mutationem ratione novi actus voluntatis quo dirigit mentem suam ad alium, vel ratione signorum aliquorum spiritualium, vel ratione verbi mentis, ex sua speciali ratione, vergentis ad alium, de quo in materia de Angelis.

DIFFICULTAS V.

*De Definitione & Essentia Modorum
apud Alios.*

PRIMO definit modum Hurtadus disput. 2. Metaphysica Sect. 5.

Modus est qui per suammet essentiam est actualis determinatio rei indifferentis.

IMPUGNATUR I. ab Arriaga. Ubicatio & Duratio sunt modi, & tamen non sunt actualis determinatio subiecti ad aliquid, si enim ad aliquid determinarent, maxime determinarent ad locum, & hoc tempus, sed ad hæc non determinant; nam locus & tempus prout sunt ab ista Ubicatione & Duratione cōdistincta, nihil sunt. Ergo ad hæc modus non determinat, nec potest modus determinare ad se ipsum, alias ita definiri deberet; Modus est, qui est actualis determinatio ad se ipsum; si autem ita definiretur male definiretur, explicaret enim definitum in ordine ad se ipsum, æquivaleretq; huic definitioni: Modus est qui reddit subiectum actualiter habens modum, quod videtur ridiculum. Addit deniq; omnem formam physicam determinare ad se ipsam, Anima enim rationalis non determinat ad formam leonis &c. & tamen forma physica determinans ad se ipsam, nō est modus.

Hæc ratione formata ab Arriaga non est contentus Oviedo contrōv. 4. Metaphysica pars 5. Pensanda mens illius.

I. ARGUMENTUM. Oviedo est, sufficit ut modus ad se ipsum determinet, quia possibilis est calor, qui non media actione, sed per se ipsum dependeat à principio activo & uniatur, non per distinctam unionem subiecto, iste calor erit modus, & tamen ad nihil distinctum à se ipso determinabit. Quod verò possit non media actione calor, sed per se ipsum dependere à principio activo, probat instantia desumpta ex iis quæ creantur, supposito quod creatio non sit modus.

RESPONDERI potest. Non probari, quòd ille calor sit modus, quia non repugnat etiam rem se ipsa pendere, & ad nihil distinctum à se ipsa determinare.

II. ARGUMENTUM. Oviedo est, benè fieri possunt definitiones per definitum materialiter sumptum, quia substantia definitur, quod sit ens per se, causa quod sit principium per se influens &c. Ergo & modus definiri poterit per ordinem ad se ipsum.

RESPONDERI potest. Quod cæteris paribus præster acceptare istam definitionem, in qua definitum nec materialiter ponitur in definitione, hoc ipso enim clarior erit definitio, suo definito.

ADDO. Aliud est querere an se ipsis uniatur formæ, & aliud an se ipsis determinent subiectum: fieri enim potest ut aliquid se ipso non uniatur, & tamen se ipso ubi unitum fuerit, ad aliquid determinet, sicut per multos verbum mentis per se ipsum non unitur potentiæ, & tamen se ipso determinat cognoscitivam, ad hoc cognoscendum, non aliud. Arriaga autem dicit solum determinare omnem formam ad se ipsam, non verò uniri se ipsa. Deniq; determinare ad se ipsum saltem secundum conceptum negativum, est, auferre negationem sui, omnis autem forma aufert negationem sui. Cæterum aliter.

CONTRA I. est. Quod immerito velit Arriaga, omne determinativum subiecti, debere esse determinativum ad aliquid à se distinctum. Certè enim subsistentia seu Persona, est terminus, & in multorum sententia modus, & tamen ad nihil distinctum, à se ipsa determinat, termini item quantitatis, sunt per aliquos modi, & tamen ad nihil distinctum à se ipsis determinant. Non nego tamen aliquos modos, ad aliquid à se distinctum determinare. Deinde cū modi interdum determinent ad aliquid à se distinctum, interdum non determinent ad aliquid distinctum, hinc fit, ut modi ut sic, definitio, non supponat pro determinatione ad se ipsum.

CONTRA II. Quia definitio ab Hurtado data potest extendi etiam ad formalitates Scotisticas si dentur, & ad formalitates connotativas, verè enim etiam illæ formalitates determinant indifferentias.

CONTRA III. Quia videtur superfluere particula actualis, si enim determinatio est, actualis est, hoc ipsoque non esset determinatio, si actualis non esset.

II. DEFINIT modum Arriaga Disp. 1. Metaphysica Sect. 1. *Modus est informatio actualis subiecti.* Porro hanc informationem duplicem esse, dicit unam intrinsecam quomodo unio per illum subiecto in quo recipitur, est intrinseca. Aliam informationem dicit esse intrinsecam, quo pacto Actio, informat extrinsecè agentem, neque enim potest esse divinitus actio, ut non denominet causam causantem.

NON SATISFACIT I. hæc definitio. Quia informatio ista extrinseca, non potest ullo modo dici informatio, alias posset dici, quòd si materia sit in uno loco ultimo disposita, & forma in alio loco, quòd tunc extrinsecè informetur materia, et si non potest formis physicis realibus tribui informatio extrinseca. Ergo nec tribueretur modis.

NON SATISFACIT II. In principiis admittentium

tium denominationes, formalitates &c. nam etiam illis competit esse informationes actuales subiecti.

NON SATISFACIT III. Quia anima dum est actu unita Corpori, illudque informat, non est modus, & tamen possit dici, quod sit actus informativus subiecti, adeoque & actualis informatio subiecti, formis enim competere potest, non tantum esse informativum ut Quod, sed etiam informativum ut Quo. Quidquid sit an tunc intercedat vel non intercedat intermedia Unio. Ceterum si distinguuntur informativum, & informatio non tenebit argumentum adstringendo scilicet informativum, ad prædicatum rationis.

III. DEFINIT modum quidam recentior quod sit actualis actio subiecti, hæc explicatio

NON SATISFACIT I. Quia ly actualis superfluit, si enim actio est, actualis est.

NON SATISFACIT II. Quia non repugnant modi non tantum actuates, sed etiam actuabiles, ut si ponatur modalitas intermedia, receptiva, cum aliqua substantia alicujus formæ supernaturalis receptiva.

NON SATISFACIT III. Possibilis est talis materia, quæ sit essentialiter ordinata ad unam formam, & forma quæ sit ordinata essentialiter ad unam materiam, & quam materiam impossibile sit sine illa forma existere, & illam formam sine hac materia, quæ enim in hoc implicantiâ quo Casu materia huic formæ uniretur non per superadditum modum.

Ratio, quia illic nulla esset indifferentia ad quam tollendam necessarij sunt modi. Et tamen illa forma, non esset modus, ita enim suppositio est argumenti, & non repugnat duobus entibus ita ordinatis, ratio realitatis, & tamen illi formæ competeret esse actuale actuacionem subiecti. Quod ipsum probatur, quia esset actualis informatio ipsiusmet materiæ, impleteretq; illius capacitatem, ergo esset actualis actio subiecti, utpote reddens illud subiectum non actuabile sed actuatum. Quod si illi formæ quæ censetur non esse modus, convenit definitio modi de qua disceptatur, rectè inferretur, illam definitionem non esse legitimam.

DIFFICULTAS VI.

Proponitur definitio Modorum & Mens Suarii.

DICENDUM est. *Modum ita bene definire; Est determinatio physica indifferentis rei, vel si vis dicere, Entis.* Dictum debere esse determinationem non verò informationem aut actuacionem, quia modalitates non raro sunt quid extrinsecum rebus quas determinant, non verat autem quidquam determinari ab extrinseco, est autem saltem quoad phrasin durum dicere,

quod informetur vel actuetur aliquid, ab extrinseco. Dictum modum esse physicam determinationem seu entitativam, ut excludantur formalitates & denominationes. Dictum debere esse determinationem rei indifferentis, ut ostendatur illam formam quæ essentialiter non nisi ad unam materiam esset ordinata, se ipsa uniendam. Addidi si vis dicere Entis, nam si quis teneret intellectionem esse modum, & se ipsa non uniri intellectui, modus ille unitivus, non rem sed Ens indifferens determinaret.

QUÆRES. *An modos de quibus hic, tenuerit Suarez? Tenuit.*

RATIO I. Ille qui suis modalitatibus condistinctam existentiam, esse actuale extra suas causas, ab alio ente etiam actuali condistinctum, tribuit, tenet modos de quibus in præsentibus; si enim habent esse actuale & existentiam distinctam, sunt revera quid entitativum. Suarez autem iis quos agnovit modis id concessit disp. 31. Metaphysica Sect. 1. n. 30. *Dum, inquit, subsistentia, suum proprium esse existentie habet, condistinctum etiam modaliter, ab existentia nature substantialis.* Et rationem adfert, quia ille modus, Verba sunt Suarii, *qui est subsistentia, distinguitur in re ipsa à natura, tanquam aliquid actuale, extra suas causas positum, ab alio ente, etiam actuali.*

RESPONDEBIS. Quod etiam formalitates Scotticæ habeant existentiam non entitativè sed formaliter ex natura rei distinctam & quod hanc tribuerit non nisi Suarez suis modis.

CONTRA. Ostendatur hoc ipsum esse mentem Suarii, ostendatur ex mente Suarii hæc duplex existentia, præcipuè cum ipse Suarez ipsam existentiam non condistinxerit ab ipsa entitate rei extra causas posita, hinc si cui tribuit existentiam, tribuit entitatem, ostendatur tenuisse Suarium Formalitates Scotticas.

RATIO II. Ille qui de suis modis asserit quod sit spiritualis, non materialis, tenet modum de quo in præsentibus non formalitatem, Suarez autem dicit unionem esse modum spirituale.

RATIO III. est. Ille qui de suis modis asserit, quod sint aliquid positivum & afficiant ipsas entitates, per se ipsos, dando illis aliquid, quod est extra essentiam totam ut individuum, & existentem in rerum natura, ille tenet non esse purum nihil modos; hoc autem asserit Suarez Disp. 7. Sect. 1. n. 17. Deinde Suarez dicit modum quem tenet non esse rem, non esse puram formalitatem, dicit non esse omnino nihil, sed modum quandam realem ut habetur n. 18. & n. 28. de Distinctionibus, *Atque ita, inquit, concedendum est quatenus modus est ens, entenus ipsum, & rem quam modificat, esse duo entia & distingui in re ipsa, & realiter latè loquendo.*

DICES I. Suarez Disp. 7. Sect. 1. n. 17. dicit novam entitatem non adferre modum.

RESPONDETUR. Quod ibidem se explicat Suarez, quod modus non adferat entitatem ratam,

ratam, quantumvis positivum esse adferat. Et certe illam entitatem modis negavit Suarez quam si haberet v. g. unio quantitatis, tunc deberet per aliam unionem uniri subiecto & quantitati, ut expresse loquitur n. 17. sed non nisi tunc cum illa unio esset entitas rata, tunc primum per aliam unionem uniri deberet. Ergo solam entitatem ratam negavit Modis Suarez.

DICES II. Suarez tribuit Modis n. 19. Modum identitatis cum modificato.

RESPONDETUR. Quod tribuerit modum identitatis, id est inseparationis ad permanentiam utriusque, quod solis entibus ratis convenit, sed nego quod tribuerit suis modis identitatem, quæ importet negationem entitatis positivæ, in modis.

DICES III. Hoc ipsum esse suspectum quod Suarez ita locutus fuerit de modis præcipue in priori tomo Metaphysicæ ut indigeat explicari.

RESPONDETUR. Videbat Suarez promptum esse ut ab Auctoribus noviter ex vetustate eruta de modis sententia, impugnaretur per hoc; quod si modus, non esset, formalitas esset res, ut ergo eos deiceret ab hac opinione, negat modum esse rem, negat modum esse entitatem qualem illi imaginari possent, hoc est, ratam. Unde etiam Suarez non expresse dicit modum habere identitatis cum modificato, sed restrictè quendam modum. Et quando negat modum esse rem aut entitatem, hoc ipsum restrictè facit, addendo propriè, propriè autem entitas secundum usurpationem, quæ tunc invaluerant, supponebat pro re.

DIFFICULTAS VII.

De Proprietatibus Modorum Signo Divisione.

Quod attinet ad proprietates Modorum.

I. PROPRIETAS. Modorum est indeterminabilitas, per alias determinationes in eodem genere; sic v. g. unio, non potest alia unione uniri, motus alio motu moveri &c. sive hæc sint modus, sive non sine modo. Ratio. Quia si posset modus determinari in eo genere per alias modalitates, & esset modus ut supponitur, & non esset, quia definitio modi illi non conveniret, non enim jam esset determinatio, sed determinatum physicè, hocque ipsum etiam ratio à posteriori suadet, quia si v. g. unio, alia unione unitur, illa secunda vel se ipsa unitur vel per aliam, si se ipsa, redibit paritas de priori unione, si per aliam, dabis processum in infinitum.

II. PROPRIETAS. Modorum est, habitudo essentialis ad hoc modificatum, Ratio. Quia si hanc habitudinem non haberet, sed esset indifferens ad hoc vel illud subiectum, hoc ipso in-

digeret alio novo modo modificari, in eodem genere, cuius oppositum vidimus.

III. PROPRIETAS. Repugnantia ad existendum extra suum subiectum. Ratio. Quia modus est determinatio, si autem existeret extra suum subiectum, non esset determinatio, quid enim determinaret.

Quod attinet ad signum distinctionis modalis.

SIGNUM DISTINCTIONIS modalis est separabilitas unius extremi, quantumvis aliud extremum ab illo separari non possit ad permanentiam. Habito autem respectu ad illam formam, quæ essentialiter non nisi in subiecto exigeret esse, correctius signum hoc explicaretur ut dicantur illa esse distincta modaliter, quorum unum habet se per modum indifferentis physicè, & aliud per modum determinationis physicæ, non dico determinantis physicè sed determinationis physicæ, nomine determinationis physicæ, intelligendo viam, determinantem formam; nam etiam albedo determinat physicè subiectum & non est modus, cumque possit existere tanquam Ens ratum sine subiecto, habet rationem determinativi non determinationis.

Quod attinet ad divisionem modorum.

Dividuntur imprimis ut dictum supra in modos entitativos & modos essendi, modi entitativi alii sunt substantiales alii accidentales, substantiales sunt per Suarium unio & subsistentia eò quod tribuant denominationes substantiales, modi autem accidentales sunt, qui tribuunt denominationem accidentalem, qualis est apud Suarium inhærentia qualitatibus & quantitatis. Alii sunt modi tenentes se ex parte potentia activæ, hoc est, qui denominant agentem. Alii sunt modi potentia passivæ, qualis censetur modus esse materialis respectu materiæ. Alii sunt modi purè terminativi, quales aliqui putant esse terminos quantitatis.

QUÆRITUR I. Quare non possit esse talis habitudo modi ad modificatum, ut dicat essentialem ordinem ad subiectum, sed non determinatè ad hoc, sed vel ad hoc, vel ad hoc.

RESPONDETUR. Ideò, quia hoc ipso illi modo accideret esse in hoc subiecto, cum posset esse in alio. Quod si accidit illi esse in hoc subiecto, per aliud debet determinari, de quo ipso determinativo quæretur: an sit indifferens? si indifferens, dabis processum in infinitum, si non indifferens, non erit major ratio unius, quam alius modi.

QUÆRES II. An modus qui est essentialiter determinatus ad hoc subiectum possit habere rationem rei, respectu alterius subiecti v. g. utrum fieri possit ut modus qui unit materiam Petri cum anima Petri, possit uniri materiæ & formæ Pauli. Potest. Ratio. Quia nulla in hoc implicantiæ, sed debent simul uniri materiæ & formæ Petri, quia aliàs ad sui permanentiam existeret modus sine proprio suo subiecto. Caterum illa

v. g.

v. g. unio Petri, quæ per ordinem ad Paulum habet rationem rei, non potest eidem Paulo tribuere effectum suum formalem. Ratio. Tum quia nulla forma potest tribuere effectum suum formalem subiecto, non sibi proprio seu incapaci sui. Jam autem Paulus, respectu unionis Petri, non est subiectum capax, cum illa unio, sit nonnisi determinata ad Petrum. Tum quia, si Paulus uniretur cum Petro, actus vitales Petri, non facerent v. g. intelligentem Paulum. Ergo nec unio Petri, denominaret Paulum unitum. Consequentia probatur, quia non est major nexus actus vitalis cum potentia ab intrinseco se movente, quàm sit nexus modi, cum suo subiecto. Tum quia illi potest tribuere rationem formalem uniti v. g. unio, respectu cuius est unio, cum forma & effectus formalis primarius, tam intimè conjungantur, sed respectu alterius subiecti non habet unio rationem unionis ut clarè dicit Arriaga disp. 1. Metaphysica Sect. 1. n. 10. licet censet illum modum, qui uniretur subiecto, per accidens tribuere effectum suum formalem. Et sicut actio qua producitur Petrus, non potest esse productiva Pauli, ita nec unio Petri, erit unio respectu Pauli. Major autem principalis probatur. Quia illa unio tribuens rationem formalem uniti, si illam tribueret respectu ejus, cuius non est unio & esset unio & non esset unio, non esset unio ut supponitur, esset unio, quia illi subiecto tribueret effectum suum formalem.

DICES. Subsistentia divina potest tribuere humanitati rationem subsistentis. Ergo & unio illa Petri, poterit tribuere Paulo rationem uniti.

RESPONDETUR. Disparitatem imprimis esse, quia Personalitas Verbi est res, adeoque non adstricta ad terminandum nonnisi unum subiectum. Deinde quia illa subsistentia secundum vim suam intrinsecam, est terminativa non tantum increata, sed etiam creata naturæ, quod à posteriori ex mysterio incarnationis colligitur. Hinc si eandem terminet non extrahetur extra suam sphaeram, sed faciet quod facere nata est. Jam autem ex dictis, modus, est essentialiter determinatus, nonnisi ad hoc subiectum.

INSTABIS. Magis est alligatum Verbum ad naturam divinam utpote identificatum, quàm modus cum subiecto, cui non identificatur, & tamen Verbum tribuit rationem subsistentis, naturæ humanæ. Ergo & modus poterit, tribuere alteri subiecto, rationem suam formalem.

RESPONDETUR. Magis esse alligatum Verbum naturæ divinæ, quoad identitatem physicam, sed non magis quoad ordinem terminativi, perfectivi, tribuitivi sui effectus formalis, cum habeat vim terminandi, etiam creatam naturam.

QUÆRITUR III. *An modi debeant dici inseparabiles à subiecto, an verò quod illis repugnet existere extra subiectum.* Posterior iste modus videtur esse castigatori phraeos, quia non habet tantam ambiguitatem atque terminus inseparabilitas, quia inseparabilitas potest supponere pro identitate reali, quæ tamen non competit modis.

QUÆRITUR IV. *Quare creatura respectu Dei non sint modi, quare item persone divina respectu naturæ divinæ.*

QUOAD I. Vide responsionem Oviedo contr. 4. Metaphys. punct. 5. quæ illius responsio non est universalis, multi enim negant creationem esse modum, si non est creatio modus, benè jam dicitur, constitui Deum in actu secundo formaliter efficientis, à creaturâ, adeoque modum esse respectu Dei. Commodius dicitur creaturam comparatam ad Deum non esse modum, quia non competunt illi ita comparatæ proprietates modi, nam creatura comparata ad Deum habet suam ratiudinem, nec essentialiter indiget actuali positione, in alio à se subiecto, quo indiget modus.

Quod attinet ad II. Personæ comparatæ ad naturam divinam non habent ratione modi, quia habent identitatem entitativam cum natura divina, quæ non est modus, nec comparatæ inter se habent rationem modi, quia una respectu alterius, non habet se per modum determinativi, & cuius sit indifferentia sublata, ab alia persona.

QUÆRITUR V. *Quomodo modi inter se distinguantur.*

RESPONDETUR. Non distingui inter se modos realiter, quia utrumque extremum non se habet per modum entis rati &c. nec distinguuntur, modaliter, quia utrumque extremum potest sine alio existere, posset dici quod distinguuntur improprie realiter, quia comparati inter se sunt res improprie, cum sine se existere possint, distinguuntur etiam improprie modaliter, quia licet sine se existere possint, adhuc tamen habent entitatem modorum.

An autem major sit distinctio inter rem & rem, quàm inter rem & modum, vide Comptonum.

QUÆSTIO V.

De Distinctione virtuali.

ACUM de hac Distinctione in prima parte, sed & hinc de illa tractandum, ut de illa informetur Lector uberius.

DIFFI.